

CONCIO III.

BONI PATRISFAMILIAS PRÆSCRIPTA.

Depingitur bonus paterfamilias. — I. Summo mane surgat. — II. Res suas, ipsa curet. — III. Familia et operariis justam det mercedem. — IV. Non patiatu domi suæ otiosos. — V. Det suis bona verba. — VI. Contentiones sedet. — VII. Bono exemplo familiae præluceat.

THEMA.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias.
Matth. XX.

Plutarchus in convivio septem sapientum refert unum ex eorum numero, Periandrum, proposuisse quæstionem: Quæ domus seu familia esset felicissima. Aliis alia respondentibus, Chilon ultimus suam sententiam dixit in hæc verba: *Ea est felicissima, quæ similis est urbi, in qua sapiens rex imperat.* Meo quidem iudicio rem hic acu tetigit. Solemus enim vulgo dicere: *Qualis rex, talis grex.* Ergo si paterfamilias fuerit in domo sua velut sapiens rex, non dubium quin familia tota similis ipsi futura sit, adeoque felicissima. Patet in Salomone, qui cum rex sapientissimus imperaret, non solum ejus familia optime composita, concinna et ordinata ad stuporem reginæ Sabæ fuit, ita ut exclamaret: *Boni viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam,* III. Reg. X. sed regnum quoque totum in pace et in tranquillitate stetit: *Sedit unusquisque sub vite sua et sub ficu sua,* III. Reg. IV. Sed ubi, dicit aliquis, tales Salomones? Ubi tales patresfamilias? In hodierno evangelio proponit nobis Christus quasi in tabulæ depictum, quem desideramus. Ergo contem-
plemur eum.

I. Bonus paterfamilias, summo mane surgit, quemadmodum et in hodierno evangelio primo mane surrexit. Ita docuit Aristoteles, in æconomicis. Cato de re rustica, cap. V. Cicero, lib. II. de divin. qui hoc præceptum ei dant: *Primus cubitu surgat, postremum cubitum eat.* Idem de matrefamilias prædicat Sap. Prov. XXXI. *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis.* Neque existimet aliquis, dici hoc solis agricolis et opificibus. Servarunt enim eam legem ipsi Persarum reges, deliciis alioquin usque ad aures deditissimi. Nam ut refert Plutarchus, libro ad imperitum principem: *Quotidie cubiculariorum unus eam ad rem constitutus, mane intrans regis cubiculum clamabat: Surge o rex, et negotia cura, quæ te Mesoromasdes (hoc est, sol) curare jubet.* Quis dubitat cum rege, vel ante ipsum regem surrexisse totam aulam? Certe cum Assuero Persarum regi

insomni legerentur annales, summo mane jam foris in atrio stabat Aman, primus aulæ princeps, Esther, IV. Sic nimirum cum paterfamilias mane surgente surget et familia: cum dormiente dormiet et familia. *Milites,* inquit S. Chrysostomus, hom. I. ad populum, *ducem suum lecto detentum cernentes, segiores fiunt, et ad pugnam tardiores.* Voluit etiam Deus Hebræorum patres et matresfamilias, summos æque ac infimos, eodem cubiculo sole primo mane excitare, dum eis manna, cibum quotidianum, matutino tempore adeo tempestive circa castra populi sparsit, ut nisi ante exortum solis id colligerent, jam evanuisse deprehenderunt. *Statim enim ab exiguo radio solis calefactum tubescibat, ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare,* ait Sapiens, Sap. XVI. quasi dicat: Oportebat primo mane surgere paterfamilias, si quis voluit eo die cum suis comedere: oportebat et prius orare, quam cibum colligere. Quod idem faciendum patrifamilias (ut indicat hodierna parabola) qui horas orationis Hebræis usitatas, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam in exeundo observavit.

II. Ipsemet res suas curat ac visitat; quemadmodum in hodierno evangelio exiit in forum quærere et conducere operarios; non commisit hoc negotium servis aut procuratori vineæ, idque non semel, sed quinquies in die una, stans horis. Primus Persarum rex dictus est Cyrus, id est, sol in lingua Persica, ut scribit Plut. in Artaxerxe, quia nimirum bonus rex, et paterfamilias soli esse similis debet. Qua de causa etiam Joseph in somnio suo vidit solem, lunam et stellas, i. e. patrem, matrem, et fratres suos sibi prostratos, Gen. c. XXXVII. Pater ergo quasi sol, materfamilias quasi luna, filii quasi stellæ sunt. Jam vero sol sua luce et præsentia totum quotidie perambulat, calefacit, fovet ac illustrat orbem, et successive singulas regiones; hinc omnia vegetantur et suo tempore fiunt, crescunt, maturescunt, multiplicantur ac conservantur: pauca vero illæ, quas sub utroque polo sitas perlustrare nequit, frigida et steriles manent. Ita domus illa bene regetur et conservabitur, quam oculus dominisæpe perlustrat: quemadmodum et ager ille optime omnium impinguabitur, in quem herus fimum deferet in suis calceamentis. Commendatur ab hac diligentia etiam mulier illa sapiens, Prov. XXXI. his verbis: *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit,* Hebr. *panem incuriæ non comedit.* Hunc incuriæ panem comedunt, qui, quæ domus suæ sunt, non curant. Verum diu non come-

dent: ad instar locustæ, quæ in æstate panem in otio cantillando comedit, unde in hieme fame perit; cum e contra formica omnia percurrens et perlustrans, victum in æstate paret pro hieme; ad quam alludit etiam Sapiens.

Deinde, sicut sol in suo quasi cursu perambulans orbem, fugat tenebras et feras, imo et fures atque adulteros, aliosque scelestos; qui velut lucifugæ se abscondant, fugiuntque solem, prædari ac nocere desinunt: ita herus sua præsentia ac visitatione purgabit domum a negligentia, otio et peccatis domesticorum, pelletque tenebriones, juxta id Proverb. XX. *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.*

III. Familia et operariis suis justam promittit mercedem, et debito tempore persolvit. Sic iste in hodierno evangelio convenit cum operariis de denario diurno, qui scilicet juste compensaret opus diurnum. Unde ait: *Quod justum fuerit, dabo vobis,* q. d. ad vestram satisfactionem et vespere eodem die solvit. Severe hoc præcipitur variis Scripturæ locis, ut Levit. XIX. *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane:* et Deut. XXIV. *Eodem die reddes et mercedem laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.* Cujus legis tenax senior mandat filio suo, Tob. IV. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Idem ipse quoque egit, quoniam reduci ductori filii sui mercedem mox numerare voluit? Tob. c. XII. Ratio est, quia operarii ex mercede sua in diem vivunt: unde opus illorum mercede defraudatum clamat in cælum, teste Jacobo, c. V. et Deum invocat vindicem. Quam enim indignum est, quod divites pauperum labores devorent! *Agrum non suum demetunt,* inquit Job, cap. XXIV. *et vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant.* Sane contra divitem illum, qui parcens gregibus suis, comedit oviculam pauperis, exclamavit David: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc,* II. Regum XII. At quid aliud agit dives, qui laborem pauperum comedit, et non solvit prout debet? Clamat ergo hoc peccatum in cælum, et facit exclamare Deum quasi contra talem divitem velut reum mortis. Ad hæc nisi justam et æquam mercedem famulantibus et operariis persolvant, dant eis causam rapiendi ait suffurandires dominorum, uti dedit Laban Jacobo promittendo ei pro mercede fetus ovium varicolores, interim separando a grege omnes matres varicolores, et dando ei solum unicolores. Quare coactus Jacob fraudem excogitavit, quia fetus diversi colores quam plurimi nascerentur, qui in sortem ejus

cederent, Gen. XXX. Addendum potius est operariis supra mercedem corollarium aliquod, quale accepit uxor Tobiae, hædum scilicet ultra mercedem, (ut colligitur ex Græc. textu, cap. II. vers. XX.) quam detrahendum aliquid.

IV. Non patitur in domo sua; sed increpat otiosos, et mittit ad labores aut expellit, ut apes fucos. Ita paterfamilias hodierni evangelii, reperiens in foro otiosos: *Quid hic statis tota die otiosi?* inquit. *Ite et vos in vineam meam.* Quid dixisset si non in foro, sed in domo sua reperisset otiantes? Audimus enim Ecclesiasticum, c. XXXIII. dicentem: *Mitte servum in operatione, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas.* Nemo sanus in domo sua toleraret pædagogura, qui filios doceret artes magicas et similia scelera: at otium et otiosi nil nisi vitia discunt ac docent. Sara quando vidit Ismaelem, filium Agar ancillæ suæ, ludentem cum filio suo Isaac, continuo petiit a marito ut eiceret matrem cum filio, Gen. XXI. Audite rationem. De Ismaele dixit angelus, Genes. XLVI. *Hic erit ferus homo, Hebr. pere,* hoc est, onager, manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum. Onager efferum et jugi impatiens animal est; Ismael ergo onager et otiosi hominis typus est, qui labores omnes fugit ac detrectat. Et videtur sane talis etiam fuisse, quando jam decem octo aut viginti annos natus lusit cum Isaac. Quid enim ludere, nisi negotium otiosorum est? Docens utique ludere fratrem puerulum. Ex lusu autem quid non mali? Nonne contentiones, execrationes, mendacia, deceptiones, pugnae, furta, bonorum dissipatio, etc? Quia ergo hic onager docuit tam malum lusum Ismaelem, jure merito e domo expulsus est. Talis est enim otiosus, ut manus ejus sint contra omnes, et manus omnium contra eum: quia omnibus est molestus, onerosus, et perniciosus. Unde S. Chrysostomus, hom. XXXV. in Acta de otioso domestico loquens ait: « Quomodo non omnes talem condemnabunt, et amici, et domestici, et cognati? Quis autem non juste dicat: Onus hic terræ? Frustra advenit in mundum talis: imo non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum? » Quemadmodum lapides molares vente vel aqua rotati, si non habeant, quod molant, in seipsos agunt, et non modo semet atterunt, sed et ignem excitant, eoque molendinum totum necedunt ac consumunt: ita otiosi et seipsos perdunt atque inquinant, et alios depravant, cum male agere incipiant, qui bene nihil agunt. Tenetur ergo paterfamilias hujusmodi lapidibus præbere, quod molant, negotia scilicet.

V. Bona et pacifica verba omnibus dat, etiam

iratis et murmurantibus: quemadmodum et ille in hodierno evangelio, qui obmurmuranti non irascitur, sed unice inquit: *Non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est, et vade.* Fuit certe talis paterfamilias in domo sua Christus, qui Judæ proditorium osculum sibi infigenti nequaquam iratus aut indignatus est, sed: *Amice,* inquit, *ad quid venisti?* Quid mali possunt agere domestici, quod cum hac Judæ proditione comparari possit? Ecce ergo patres et matresfamilias non par mansuetudine utantur erga domesticos, etiam delinquentes? Et quid dicent coram Christo agno mansuetissimo, qui ob res levissimas rugiunt ut leones, et omnia perturbant? Audiant Ecclesiasticum, c. IV. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.* Leo suc rugitu perterret, et enervat omnes alias feras, et tantum non exanimat, ut eas in prædam rapiat: sic aliqui patresfamilias suis rugitibus, oburgationibus et execrationibus, clamoribus et minis terrefaciunt omnes domesticos, etiam innocentes, et non sciunt præ timore, quid faciant, nec nisi verbera expectent. Sed quid tandem efficiunt? Evertunt illos, ut quem amare deberent, oderint, execrentur, vel certe animum abjicientes nihil cum amore et studio agant, sed cum murmure et indignatione omnia: vindictam denique sumant, quocumque modo possunt, vel hero ultimum valedicant. Unde Sapiens, Prov. XI. ait: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos,* hoc est, faciet domesticos suos fugam moliri, et avolare velut ventum, sicque ipse domi suæ possidebit ventum, hoc est, nihil.

VI. Contentiones, æmulationes et discordias sedat, et e medio tollit; sicut iste evangelicus murmurantibus operariis: *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, os ocludit non una, sed multis rationibus: Amice non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum?* Ita Christus Dominus e domo et collegio suo gliscentes inter discipulos discordiarum igniculos mox in cinere suffocavit. Ita olim Abraham, Gen. XIII. audiens oriri discordiam in domo sua inter pastores suos et Loth nepotis sui, mox eam composuit, dando optionem nepoti, ut in quam vellet regionem secederet. Id quod ei abunde Deus compensavit, donando totam terram Chanaan. Argumentum, quo sopivit Abraham discordiam, erat, quia scilicet fratres essent, hoc est, cognati. Qui in eadem familia sunt, unius corporis membra, adeoque fratres inter se sunt; unde eorum caput *patresfamilias* antiqui nominare voluerunt. Quis autem vidit membra aliquando inter se contendere? Et si humorum quædam intemperies contingat, affe-

rens ægritudinem, nonne mox laborat homo, ut per medicinam vel diætam eos iterum componat? Quod est morbus homini, hoc est, discordia et dissidium domui. Præclarum boni patrisfamilias exemplum exhibet gallus gallinæceus, qui noctu pro familia sua vigilat, primus e strato exilit, cibum illi procurat, comedenti inspector et quasi defensor adstat, etc. Inter alia etiam hoc advertit quod rixantibus inter se gallinis mox accurrat, easque irata quasi voce objurget, et ab invicem dispergat. Hæc spectat quotidie paterfamilias, et cur non imitantur?

VII. Præit toti familiæ bono exemplo suo, unde ipsum familia non difficile sequitur. Sic enim paterfamilias hodierni evangelii miratur, quomodo fieri possit ut unus operariorum malus sit, se existente bono. *An oculus tuus nequam est,* inquit, *quia ego bonus sum?* Quasi ego charitatem in alterum effundi, fierine potest, ut ei invidias? Exemplar familiæ est paterfamilias; ei se accommodat membra familiæ. Diximus supra ipsum soli comparatum in somno Josephi. Jam sicut flores quidam et herbæ ad solis motum se convertunt, sic domestici patrisfamilias, populares principis se moribus conformant: et quemadmodum sol perexiguo et brevi suo defectu magnum affert orbi humano nocumentum: ita patrisfamilias defectus et pravitas depravat familiam, sibi que reddidit similem. Hinc Apoc. XVI. ubi quartus angelus effudit phialam suam in solem, *æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei.* Contra præeunte illo ad bonum, sequentur eum domestici. Talis erat Jacob, Gen. XXV. qui a Deo jussus ascendere in Bethel, et erigere altare, convocata omni domo sua dixit: *Surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus altare Deo.* Non ait: *Surgite et ascendite,* sed: *Surgite et ascendamus;* mox omnes eum secuti sunt.

Atque hoc est, quod initio diximus, si fuerit paterfamilias instar regis sapientis, faciem suis præferens, habebit absque dubio familiam qualis ipsa est, adeoque felicissimam, quam ipsis precor a Deo optimo maximo.

CONCIO IV.

VIRI ABUSUS VARII.

I. Qui in propriam perniciem cedit. — II. Qui in proximorum injuriam. — III. Qui ad Dei injuriam cedit.

THEMA.

Ite et vos in vineam meam. Matth. XX.

Mirari aliquis posset, quamobrem celestis

paterfamilias tantum curæ et sollicitudinis in se suscipiat pro cultura vineæ. Etenim primo, mane surgit, et exit ad conducendos operarios: exit rursus hora tertia, sexta, nona, et undecima, denique dat liberalem mercedem: tantam iis qui una hora, quantam iis, qui tota die laborarunt. An nescit, quam obfuerit justo Noe vinea, quam primus ipse plantavit? Quam nocuerit vinum Loth, aliisque multis in s. Scriptura? Certe Lycurgus, Thraciæ rex, cum multos ex vino insipientes videret, circumiens vites securi excidit, teste Platone. I. VI. de legibus. Cur ergo noster rex et paterfamilias tam sedulo excolit vineam tot malorum fontem? Existimo sane eum minime hoc facturum, si de vinea vera et naturali loqueretur. Ergo vinea de qua loquitur, spiritualis est, Ecclesia videlicet, quæ vinum tale gignit, quod nemini obest, omnibus prodest. Unde homines miror, qui tam sollicitè colunt vineas suas, tamque curiose quærunt, quot vasa tulerit hæc vel illa vinea non item, quot saccos frumenti hic vel ille ager: cum tamen manifestum sit, quam male utantur vino, frumento non item. An forsitan non advertunt tam multiplices vini abusus? Hi ergo necessario ante oculos eorum ponendi sunt.

I. Primus abusus tendit in perniciem propriam. Quantum enim prodest si modice sumatur, tantum obest, si immodice. Unde S. Aug. epist. ad s. virg. *Vinum potatum moderate est medicamentum: plus justo sumptum, venenum esse dignoscitur.* Quis autem nescit medicinas moderate sumendas esse? De Georgio Clarentiæ duce refert Polyd. lib. XXIV. cum ei mors a fratre Eduardo IV, rege Anglorum indicta esset, elegisse sibi demersionem in vas vino Cretico plenum. Stulte! Quid tibi profuit mergi in vino potius, quam in fluvio? Nihil melius sapiunt, qui vino immodico vitam sibi præcindunt, nisi quod lentius demergantur, de cætero sibi ipsis plane vitam eripiunt. Unde bene Athenæus, libro XI. grandia bibulorum pocula *argenteos* appellavit *puleos*, in quos se demergunt, dum iis se proluunt. Antiqui vina venalia suspensa præ foribus hederæ proposuerunt, forsitan in cautelam, et moderaminis documentum. Solet enim hederæ proprium, cui inniti solet, fulcrum, seu arborem destruere. Idem porro vinum agit, suum potatorem necat. Et vero nonne Deus omnia disposuit in numero, pondere, et mensura? Sap. XI. Et quis herus non præscripsit servis suis certum salarium? Certum vini poculum in mensa? Imo quis non equis suis certam mensuram avenæ: et si servi mensuram illam transgrediantur, nonne statim ab irato hero reprehenduntur, vel

I.

etiam castigantur? Et tamen servi æque ac equi domino suo comedunt et bibunt. Quod ergo in servis et jumentis tuis non pateris, hoc tibi concedi debet? Hoc Deus in te pati, cujus tu servus es? « Velim tamen scire, (ait Sanc. August. serm. CCXXXII. de temp.) cum Dominus habet plures servos, si vel unum ex illis velit fieri ebriosum. Sine dubio nullus tam malus qui hoc voluerit aliquando, aut velit. Et qua fronte, qua conscientia, qui servum non vult habere ebriosum, ipse vult ebriosus fieri. » Si semel in anno servus se inebriet, statim objurgatur, aut etiam vapulatur: at si herus ipse singulis diebus plenissime se ingurgitet, sine crimine est, nemo increpare audeat. Accedit, quod quam plurimi etiam non sitientes bibunt, solum in gratiam propinantium, vel in sanitatem amicorum, aut magnatum. Qui gravissimus est abusus; nam et illi non prosunt, in ejus sanitatem bibunt; et sibi valde nocent, cum immoderate Herculeanos scyphos hauriunt in animo simul et corpore. Stomachabatur aliquando Diogenes in eos, qui bonæ valetudinis gratia diis munera offerrent, et interea in ipso sacro obruentes se voluptatibus valetudinem suam perderent, apud Laert. I. VI. de vita philosoph. Quid vero aliud hi faciunt, qui pro aliorum valetudine pocula aqualiculo suo offerunt, et suam interim perdunt: et illi, cui propinant amicitia gratia, quasi venenum miscent.

II. Secundus concernit injuriam proximorum. Primo enim, multi provocant alios et incitant, quin et aliquando cogunt ad bibendum. Quod sane in magno illo Assueri, et lautissimo tot satraparum convivio non fuit: *Non erat qui cogeret nolentes,* tametsi prius contraria consuetudo viguit apud Persas. Audiatur S. Augustinus, serm. CCXXXI. de temp. « Qui alterum cogit, ut se plus quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus violaret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret. » Pater Neronis fuit, Domitius videlicet, omni parte vitæ detestabilis, tali filio non impar, qui libertum suum occidit, quod potare, quantum jubebatur, recusarat, ideo ex cohorte amicorum demissus, auct. Suet. At teste August. gravius longe vulnerant, qui ad bibendum cogunt. Domitio igitur pejores. Ad hæc: *Si tu alium inebriaveris,* ait eodem serm. August. *habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera, si justum sit, ut te a Deo separet, dum te ebrioso conjungis.* His persimiles illi domini, qui subditos suos cogunt a se coempta vina aut vendere, aut ebibere. Empedocli philosopho in convivio præscripsit convivii præfectus, aut ut hiberent, aut

37

vinum in ejus caput effunderetur. Quam rem tam indigne tulit Empedocles, ut postridie coacto concilio, et invitatore, cujus opera id erat factum et symposiarcham reum peregerit, damnarique curarit, Laert. Parem huic tyrannidem videntur exercere in suos subditos, qui præcipiunt, ut aut vina a se emant, ebibantque, aut iis perfundantur et inebriantur, velint sive nolint. Et facile tolerarent pauperes vino se perfundi, si non et solvere deberent.

Secundo, alii vina sua effundunt, in quos non deberent, parasitos, scurras, lurcones, helluones, mimos, vel in splendida convivia: negligunt vero pauperes, et ægros. Non fit hoc imprimis juxta consilium Christi, quod dedit hospiti suo, Lucæ XIV. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinventent, et fiat tibi retributio; sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectionem justorum.* Deinde graviter invehitur S. August. serm. CXXXI. cit. in eos, qui contrarium agunt. « O infelicitas generis humani, inquit, quam multi inveniuntur, qui ebriosos, et luxuriosos, amplius quam oportet cogunt bibere, et ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare: nec attendunt, quia istud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere? » Similes sunt hi fluminibus, quæ aquas suas in mare effundunt, terras autem sitientes minime rigant. Considerent, an æquum sit pro inani gloria tanta bona perdere, quibus tot ægri, et egentes refocillari poterant.

III. Tertius concernit Dei injuriam. Nam primo frequenter accidit, ut ebriosi graviora peccata committant, Dei penitus obliviscantur, sacra omnia derideant ac conculcent, imo numen ipsum blasphemant. Cujusmodi exemplum recenset Gabriel Prateolus, in chron. anno Domini 1580, de quodam, qui cum socio tabernam intravit, et post varias propinationes, et cachinnos: Cui nunc præbibam? inquit. Alter: Stupidus es, Deo præbibe, tum videbis, quid responsurus sit. Hic vero de quo infundam de horno, an de veteri? Alter: Utrolibet vis. Infundam ergo de horno, ait, qui licet sit crudum, sed tamen ipsi bonum est. Tunc elato scypho: Tibi Deus, responde. Mirum si tibi arriserit: si enim hoc anno fecisses melius, melius bibisses. Hoc edicto irriguit toto corpore, omni sensu expers. Et quamvis oculos modo clauderet, modo aperiret, loqui tamen non potuit. Territus socius, fugit: alii præsentem eum loco movere tentant, sed immobilem repe-

riunt. Rem ergo Scabinis indicant, qui hominem funibus ligatum, ne tribus quidem equis extrahere possunt; ut manifeste Dei potentia et vindicta appareret. Domum allatus est ignis, ut una cum domo Dei contemptor combureretur, sed frustra. Stetit itaque miser ille tamdiu non loquens, nec bibens, nec manducans, donec a quam plurimis videretur, velut exemplum divinæ vindictæ. Ita et paulo fusius Prateolus, tomo II. chron. anno cit. 24. julii.

Secundo, præterea non potest non offendere Deum, cum non hominum, sed bestiarum modo bibitur ex industria ad omnem libidinem, et spurcitiam per integras noctes, sine omni modo et honestate, ut Deus ad iracundiam provocetur. Cujusmodi computationem describit Jo. Frid. Mattenesius, l. I. de ritu bibendi in sanit. cap. XI. quæ non ita pridem in celebri civitate Imperii habita fuit, ea lege, ut omnes combibones non nisi grandibus poculis biberent: ut uno tractu eadem exaurirentur: ut ea de manibus nunquam deponerentur: ut per totam noctem nemo discederet, antequam sol oriretur: denique, ut si quis se exonerare vellet, supra mensam faceret. Quis quæso porcorum haram unquam spurciorum vidit? Et nonne hoc est omnem humanitatem exuere, et Dei imaginem quam foedissime deformare? Atque utinam similes spurcitiæ non et alibi crebrius fierent! Bene huc quadrat, quod dixit Isaias, cap. XXVIII. *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusque.* Alii vertunt: *Vomitu et stercore.* Et miramur adhuc, si frequenter Deus vineas grandine, pruina, frigore, pluvia flagellet? Si vina in cellariis pereant, si immatura ætate multi extinguantur? Insania potantium, furor ebriorum, spurcitiæ lurconum, horum malorum causa est. Dedit nobis quidem Deus vineas pro solatio et bono nostro; sed expectat inde fructus bonos temperantiæ, gratiarum actionis, liberalitatis erga pauperes. At quia frustra aliquando expectavit uvas, et accepit labruscas, audite quid de hac vinea sua dicat Isa. V. *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ mex. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur: et ascendent vepres et spinæ: et nubibus mandabo desuper, ne plantent super eam imbrem.* Permittit enim tandem, ut desertæ jaceant vineæ cultoribus destitutæ, vel occupentur ab hostibus, excindantur a Turcis, etc.

Quare ne quid tale nobis contingat, utamur Dei dono cum debito moderamine, ut ne poeniteat eum dati beneficii, et ne post foedam et intolerabilem ingluviem deveniamus ad æternam

situm: sed potius ut per moderatum usum, et debitam gratiarum actionem mereamur non solum in hac vita vinum a Deo accipere, verum etiam in altera novum illud cum Christo Domino nostro bibere.

CONCIO V.

QUALES OPERARII SALTATORES.

I. Saltatorum paterfamilias diabolus. — II. Labores eorum quales Samsonis molam vertentis. — III. Merces eorum mors est et infernus.

THEMA.

Ite et vos in vineam meam. Matth. XX.

Duces, qui hostili odio flagrant inter se mutuo, hoc observare solent, ut si videat unus hostem suum tympana pulsare, et milites conscribere, mox alter quoque classicum canat, et milite conscripto contra hostem se obarmet. Prodit in hodierno evangelio celestis paterfamilias, conducturus operarios in vineam suam, ut piis virtutum operibus occupet, et post exactos labores in cælo præmiet. Videt hoc Dei et humani generis hostis diabolus, et quia cælum nobis invidet, prodit etiam ipse ut in suam vineam operarios conscribat et laboribus afflictos ad extremum perdat. Reperit autem quosdam valde sibi idoneos, triplicis conditionis: saltatores, lusores, convivatores. Omnes hos fatigat saltando, ludendo, convivando, periculoso prorsus labore, sed et pessima mercede. De primis hodie loquemur, sequentibus duabus dominicis dicturi de aliis duobus.

Non incongrue saltatores ad vineam diaboli conduci dicuntur; si quidem olim in vineis fere saltationes ad honorem Bacchi fiebant. Unde Greci vocem quæ significat saltare, deduxerunt ab alia quæ significat sulcos aut foveas seu ordines vinearum, in quibus saltabant. Sed videamus jam labores horum operariorum.

I. Quis illorum herus seu paterfamilias, quis conduxit illos? Respondeo, diabolus. Hic enim in Apin Ægypti deastrum se immittens varios hinc inde motus ciens primus coryphæus, choreas ducens, saltare homines docuit qui adstant. Ita docet Augustinus, lib. XVIII. de civitate, c. V. et Abulensis, in c. XXXII. Exodi q. XI. Non dubium ergo adesse cum choreis et maxime lætari, cum tam bene sibi cessisse suam inventionem videt: adhortari etiam et incitare eos ad continuandum laborem: sicut patresfamilias solent stimulare ad operandum operarios. Accedit

S. Chrysostomus, hom. XLIX. in Matth. *Ubi, inquit, saltus lascivus, ibi diabolus certe adest: et Sanct. Ephr. tom. I. serm. quod ludis abstinentium sit: Ubi cithara et chori, ibi angelorum tristitia, et diaboli festum: et lib. interrog. et respons. Quis talia Christianos edocuit? Draco antiquus docuit, magister omnis impuritatis, etc. Imo inter eos ipsi etiam dæmones saltant, teste Isaias, c. XIII. *Pilosi saltabant ibi* (Chald. dæmones) *et respo debunt ibi ululæ* (juvenes et viri) *in delubris voluptatis.* Vatablus vertit in palatiis voluptuosis: quæ sunt delubra et templa dæmonum. In quæ verba S. Basilius ait: *Dæmonia gesticulari dicuntur, et multifariam saltitare, dum nobis cooperantur ad peccandum, etc.* Videant jam juvenes, videant puellæ, ubi sint, quibuscum agant, dum choreas agunt: cum dæmonibus versantur, dæmonibus laborant. Ecclesiasticus, c. IX. dehortans hominem a commercio tyrannorum, ait: *Communionem mortis scilo,* (hoc est, scito te cum morte communicare) *quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Plurimi enim sibi laquei, quibus dæmon velut venator cingit, et capit tam saltantes, quam spectantes. Quando Alexander VI. Scotorum rex, in tertiis suis nuptiis choreas instituit, dum spectaret illas, vidit in fine saltantium mortem, ea qua pingitur figura ossea, agmen claudere saltantem: statim ergo choreas, et omnem lætitiæ nuptialem sustulit; quod malum id omen crederet, uti revera erat: cum eo anno mortuus sit, ut refert Hector Boethius, in chron. Scot.*

II. Quinam illorum labores? Quales erant Samsonis a Philisthæis capti et excæcati, qui in carcerem coniectus molam vertere, et in girum trahere coactus fuit: quemadmodum et juvenes Hebræorum a Chaldæis in captivitate Babylonica ad molendinum vertendum rapti sunt, ut lamentatur Jeremias, Thren. V. vers. XIII. in text. Hebr. qui habet: *Juvenes ad molendum rapuerunt.* De his intelligunt aliqui, quod Ps. XI dicitur: *In circuitu impij ambulat.* Impios voco saltatores, quia: *Ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrat, cymbalum concrepat, quis ibi timor Dei?* inquit S. Hieronymus contra Helvidium. Igitur, primo, hi in circuitu ambulant, quia ut honestissime saltent, tempus tamen inutiliter terunt, sicut qui in gyrum vertuntur, velut rota molendini nullum progressum faciunt, nec ad unum quidem passum, licet ad sudorem usque toto die se fatigent. Quot milleni alii, religiosi et pii homines eo tempore Deum laudant, et cælum diripiunt, quo saltatores nugas sectantur! Quot milleni alii gemunt in suis miseriis partim in hac vita, partim in altera, dum purgantur, quibus illi interim